



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Die 20. S. Sebastianus Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

mus. Quis neget, & nos tunc in humilitate profecisse plurimum? vade ergo retrò Satana! depellamus recitando Cursum Marianum. Quod aurora noctuæ, id est Maria Satanae.

Festum Gloriosissimi Martyris
S. Sebastiani Patroni contra pestem
potentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Heu! peccata nostra clamant vindictam coram Iudice Divino! Fili! quid fiet nobis? verum stat fixum, & irrefixum, Deum nostrâ placare humilitate, & poenitentiâ. Pro meritis ne arripiat flagellum suæ iracundiæ, nosque omnes feriat miserâ peste, confugiamus ad S. Sebastianum, quem & quotannis speciali veneremur pietate. Potense est! vivamus, ut mereamur.

Instructio meritoria.

Quæ autem pietas illa? in profesto jejunemus, & pro tota dilecta patria in templo coram Sanctissimo *Septem Psalmos poenitentiales cum Litanis Majoribus* (tempore opportuno) recitemus.

Ore-

Oremus, ne incidamus in manus Domini.

II.

O Quàm angustâ, & difficili viâ penetravit coelos S. Sebastianus! porta ad coelum angusta est. Quis intrabit? certè non pinguis, non carnalis, superbus, avarus, & temporalium cupidus homo. Sarcinam rejiciamus sæculi, & non audiemus illud Filii Dei: *Clausæ est janua: Nescio vos!*

Instructio meritoria.

Quidquid verbi, vel operis adversi nobis obvenerit hodie, S. Sebastiani memoriâ, in patienti, & humili silentio supportemus mentaliter invocantes Deum notô afflictorum Psalmo: *Ad Dominum cum tribularer, clamavi &c.* Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.

III.

Non timuit vir Dei Carnificû manus, nec Imperatoris sententiam. En! restitutus sese denuò sistit oculis tyranni, potius querens patiendi occasionem, quàm effugiens. O fili! causam Dei defendimus,

mus,

mus, videntibus, & invidentibus pluribus angelis, qui lucro haberent maxima pati pro suo Domino: & hoc nos possumus: nobis hoc insigne est factum beneficium, ut pro Dei honore pugnemus. Theatrum Deo, Mariæ, Angelis, & omnibus sanctis sumus. Sæpè nos strenuos promissimus: cur in occasione torpemus timidi?

Instructio meritoria.

In occasione tribulationis, contradictionis, correctionis, aut confusionis mentem elevemus ad Dominum, & pro submissa patientiæ ac humilitatis occasione laudemus psallentes: *Laudate Dominum de Cælis &c.* Christianorum est in Cruce magis, quàm in quiete lætari. Chare! non ambiamus beatitudinem, cujus finis interitus. Pati sit omne gaudium nostrum!

**Festum S. Agnetis V. & Martyris
Constantissimæ.**

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! in Divinis, & spiritualibus repetimus obsequis? non ita. Sed recorde-